



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117921**

§. 17. Res Franciæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Sæculum IX. Qui nobili genere ortus, & ab ineunte  
A. C. 893. ætate Institutum Monasticum amplexus,  
 deinde a Congregatione Abbas electus  
 est. Inde evocatus, ad Sedem Constan-  
 tinopolitanam evectus est; eamque duo-  
 bus non plus annis tenuit.

## §. XVII.

*Res Franciæ.*

Formosus Papa sub idem tempus duos  
 Legatos Paschalem & Joannem, am-  
 bos Episcopos, in Franciam misit, qui  
 Concilio, ipso jubente Viennæ anno o-  
 ctingentesimo nonagesimo secundo, In-  
 dictione decima, celebrato, præfuere.  
 Complures Episcopi, & inter alios Ber-  
 nuinus Archiepiscopus Viennensis, Au-  
 relianus Lugdunensis, Isaac Episcopus  
 Valentinus & alter Isaac Gratianopoli-  
 tanus subscripserunt. Quatuor vel quin-  
 que Canones conditi, contra Usurpato-  
 res Bonorum Ecclesiasticorum, contra  
 Parricidas, latrones qui Clericos vel mu-  
 tilarent, vel contumeliis afficerent.  
 Contra fraudulenter agentes in reddendis  
 Legatis piis Episcoporum & Presby-  
 terorum, contra Sæculares, qui sine con-  
 sensu Episcoporum Ecclesias Clientibus  
 suis conferrent, aut pensionem a Pres-  
 byteris officium suum suscipientibus exi-  
 gerent.

Fulco



Fulco Archiepiscopus Remensis, da-<sup>Sæculum IX.</sup>  
 tis ad Formosum Papam literis, maxi-<sup>A. C. 893.</sup>  
 mum gaudium professus est, quod tan-  
 tum virum in S. Petri Cathedra sedere  
 sciret; idque certissimum esse indicium  
 existimabat, a Deo optimo Ecclesiam  
 suam solícite custodiri. Cum prius a  
 Pontifice accepisset Epistolam consolato-  
 riam, in qua dicebat vehementi deside-  
 rio ipsum videndi, & colloquendi se te-  
 neri, gratias egit, & præterea Papæ in-  
 dicat, quosdam Galliarum Episcopos  
 Pallium petere, omni Jure destitutos,  
 & Metropolitanam suam vilipendentes,  
 unde charitas lædi, & invidiosæ turbæ  
 oriri possent. Quare nomine totius Ec-  
 clesiæ Papam rogat, ne hujusmodi gra-  
 tiam sine consensu omnium unanimi, &  
 scripto, concedat.

*Flod. vers.  
to. 4. Act.  
Ben. p. 601.  
Flod. 1V.  
hist. c. 1.*

Papa in Responsoribus Fulconem cete-  
 rosque Franciæ Episcopos hortabatur,<sup>ibid. c. 2.</sup>  
 ut cum Ecclesia Romana dolerent, &  
 periclitanti opem ferrent. Subjiciebat,  
 jam diu Ecclesias Orientis variis Erro-  
 ribus perniciosis, & Ecclesiam Constans-  
 tinopolitanam Schismate turbari. Inter  
 Episcopos Africæ quoque jam diu discor-  
 diam gliscere, eorumque Legatos vehe-  
 menter instare, ut in hac causa (\*) re-  
 spon-

(\*) Non apparet, quodnam hoc schisma, &  
 qua



Sæculum IX.  
A. C. 893. sponderet, nec non se multum postulationibus Mandatariorum ex aliis Regionibus fatigari. *Quare, inquit, statuimus, Concilium Generale convocare, cui prima Martii, Indictione undecima (nempe anno octingentesimo nonagesimo tertio) initium dabitur, vosque admonemus, ut sine cunctatione veniatis; sic enim mature deliberare, & ampliora Responſa ad propositas nobis quæſtiones dare licebit.*

## §. XVIII.

*Guido & Lambertus Imperatores.  
 Carolus Simplex Rex.*

Illud quoque Formoſus Papa in ſua Epiſtola Fulconi ſignificabat, quod eodem anno, Indictione decima, ſeu anno octingentesimo nonagesimo ſecundo Guidonem Imperatorem coronaffet. Erat is Guido Dux Spoletanus Filius Lamberti, qui Joannem VIII. Papam tantopere torſerat, Fulconi ſanguinis propinquitate junctus.

Anno

qua de re diſſenſio inter Epiſcopos Africae fuerit. Illud vero exinde liquet, non in Europa modo, ſed etiam in aliis Orbis terrarum Partibus conſtantem Doctrinam & Diſciplinam vigiſſe, in arduis negotiis vel ad Fidem, vel ad mores pertinentibus ad Sedem Apoſtolicam eſſe recurrendum.